

ut si quid hujus legis fuerit violatum, numerarii quidem tam gradus sui quam solennitatum seu solationum universi [unius] anni iacturam: adiutores vero quinquaginta librarum auri, et chartularii quindecim itidem librarum auri poenam subeant.

11. *Idem*, A. Caroni magist. milit.

Officio tuæ magnitudinis datis precibus postulante, ut numerariorum actus non in biennium⁴, sed in unum [annum] statuatur: nostra pietas hujusmodi petitionibus annuus, dispositionem quæ super biennio promulgata fuerat, super uno tantummodo anno revocavit.

12. *Imp. ANASTASIUS A. P. P. Illyrici.*

Per hanc divinam pragmaticam sanctionem decernimus, quod antea tribunis prætorianis, dum dignitas eis qui in scriniis seu gradibus officii tuæ celsitudinis deponunt militiam præbeatur, et custoditum fuisse dignoscitur, hoc super honore quoque comitivæ dignitatis eis impertiri: ut sententia pro line eorum militiæ proferenda, dignitatis etiam mentionem contineat. Hoc quoque tantummodo, et sine speciali codicillorum vel divinorum apicum sanctione ad eandem dignitatem adipiscendam et privilegia eam sequentia sufficiat: ita tamen ut primi ordinis comitivam per interlocutionem ejusdem potestatis mereantur [hi, id est] conicularii, et chartularii, primiscripii, et numerarii serinii Macedoniae, et serinii Daciae, et serinii operum, et serinii auri. Hoc eodem in his etiam qui post novellam dispositionem divæ memoriæ Zenonis, quæ de eisdem penis loquitur: et de eisdem personis, quæ deposuerunt militiam, obtinente.

TIT. LI.

DE CURSU PUBLICO, ET ANGARIIS ET PARANGARIIS.

1. *Imp. CONSTANT. A. Titiano.*

Equos, qui publico cursui, deputati sunt, non lignis, vel fustibus, sed flagellis tantummodo agitari decernimus; poena non defutura contra eum, qui aliter fecerit. — Dat. prid. id. Maji SABINO ET RUFINO CONSS. 318.

2. *Idem*, AA. Cyndino P. P.

Præsidibus, et rationalibus, cæterisque quibus propterea respublica, et annonas, et alimenta pecoribus subministrat, usurpandi⁴ paraverendi licentia derogetur. Sed nec per aliam viam eundi quisquam habeat facultatem: nisi per quam cursus publicus stare dignoscitur: excepta videlicet tua submissima sede, cui cursus publicus, et proficiscendi per eum licentia, et ubi ratio exegerit, præsto est. — P. P. 15 kal. Mart. CONSTANTINO A. 7 ET CONSTANTIO C. CONSS. 326.

3. *Imp. CONSTANT. A. Tauro P. P.*

Evectiones ab omnibus postulentur, et tam iudices, quam custodes publici cursus minime [transire] patiantur antequam seriem evectiois aspexerint. Quod si quis putaverit resistendum, et sine evectioe iter facere detegatur, vel ultra tempus quod evectioe insertum est, publico cursui uti conatus sit: ubi repertus fuerit, ibidem jubemus retineri: et siquidem dignitate præditus sit, de ejus nomine ad providentiam tuam, et ad illustrem virum comitem, et magistrum officiorum referri: adversus vero cæteros proinus indignatio competens exercenda est, quos sinceritas tua pro loco graduque militiæ ibidem coerceri posse crediderit. — Dat. 8 kal. Jul. *Mediolani*, CONSTANTIO A. 9 ET JULIANO C. 12 CONSS. 357.

4. *Imp. JULIANUS A.*

Pathippum eum videri, et habendum esse, qui usurpato uno², vel duobus veredis quos solos evectio continebit, alterum, tertiumve extra ordinem commoveat. Nihil autem interesse debet, nec ad crimen vocari, utrum agens in rebus suo itinere, an mulionis subjugando, modo evectiois date formæ licentiam non excedat. — Dat. 5 id. septembr. MAMERTINO ET NEVITTA CONSS. 362.

5. *Imp. VALENT. ET VALENS AA. ad Symmachum correctorem Lucaniæ, et Brittiorum.*

Si quis per publicum cursum iter faciens, cujuscumque dignitatis, vel militiæ, ab itinere recto diverterit, poena in eum competens proferatur. — Dat. 8 kal. april. *Mediolani*, VALENTINIANO ET VALENT. AA. CONSS. 363.

4. L. 2, in fin. supr. h. t.

TIT. LI. — 1. *Adde* L. 10, infr. h. t. — 2. L. 13, L. ult. infr. id. — 3. L. 2, infr. de eo.

6. *Idem*, AA. et GRATIANUS A. ad Amphiliam.

Evectionum copiam senatuf cum proficiscendi ad nos necessitas fuerit, serenitas nostra largita est: ita tamen, cum aut a nobis evocatur, aut a clementiæ nostræ veneratione discedit. Si quis ergo posthac contra vetitum sibi cursum publicum illicita temeritate præsumperit, motum in se nostræ mansuetudinis excitabit. — Dat. 3 id. decemb. *Triver*, GRATIANO A. 2 ET PABO CONSS. 371.

7. *Idem*, AA. ad Hisprinium P. P.

In omnibus provinciis veredorum quarta pars reparatur: stabula autem ut impensis publicis extruantur: contra rationem est: cum provinciarum sumptu, in quorum locis stabula constituta sunt, citius arbitremur apparanda, et utilius sit, tam publico, quam his, quos stercus [animalium pro] suo solatio habere concedimus. — Dat. 3 kal. Mart. *Triver*, GRATIANO A. 4 ET MEROBAUDE CONSS.

8. *Imp. VALENT. ET VALENS AAA. Floro com. R. P.**

Ut agendi itineris possit esse moderatio, deni veredi per dies singulos ex utraque parte dimittantur: poena quinque librarum auri minime defutura contra eos, qui saluta nostra neglexerint.

9. *Imp. GRAT. VALENT. ET THEOD. AAA. Floro* P. P.*

Judicibus⁵ faciendæ evectiois copiam denegamus: cum id tantum nostro numini, et tuæ sedi, necnon viro illustri magistro officiorum sit reservandum: cum neque præfecto urbi, nec magistris militum, nec⁴ ducibus, nec vicariis, nec cuiquam alii præter memoratas duas potestates a nobis hoc concessum sit. His enim tantum ambulandi facultatem iudices ex suo arbitrio præbituri sunt, quos in transmissionem publicorum functionum persecutores viderint constitutos: scituri, si definitionem nostram excesserint, se quidem viginti quinque auri libris, officia vero quinquaginta esse multandos. — Dat. 10 kal. Aug. *CP.*, ANTONIO ET SYAGRIO CONSS. 382.

10. *Idem*, AAA. Philagio com. ord.

Gravissimæ poenæ acerbitate proposita, evectio⁵ contractus, animalium quoque publicorum merces, et ementis et distrahentis coercitio prohibemus. — P. P. *Byato*. Dat. 15 kal. octobr. ANTONIO ET SYAGRIO CONSS. 382.

11. *Idem*, AAA. Cynegio.

Nullus evectioe utatur privatus, tametsi valuerit impetrare. — Dat. 6 non. Mart. eod. RICHOMERE ET CLEARCHO CONSS. 384.

12. *Imp. VALENT. ET THEOD. AAA. Cynegio P. P.*

Quoniam veredorum quoque cura pari ratione tractanda est: sexaginta libras auri sella cum frenis, sexaginta [itidem] averta non transeat: ea conditione, ut si quis præscripta moderaminis imperatorii libramenta transenderit, ejus sella in frusta cadatur: averta vero fisci iuribus deputetur, exceptis auri centenariis, quæ necessarium est ab hippocomis in solitis sacculis reportari. — Dat. 15 kal. Jul. *CP.*, ARCADIO A. 1 ET BORTONE CONSS. 385.

13. *Idem*, AAA. Floro P. P.

Non patimur hippocomos per eos, qui veredis utentur, indigna spoliatione vexari: si quidem nonnulli veredarii saga eorum dicuntur auferre, vel præcidere. Quocirca per omnes iudices, et curiosos miserabilis removeatur injuria: scientibus cunctis, quod si observata non fuerit nostra sanctio, non solum damna resarcire, verumetiam notam, et multam, qui neglexerit, subire cogetur. — P. P. 15 kal. Jul. *Triver*, VALENTINIANO A. 4 ET NEOBARIO CONSS. 387.

14. *Idem*, AAA. Potamio P. P. Augustali.

Publici cursus exhibitio secundum locorum consuetudinem⁶, vel curialibus, vel cohortalibus debet committi, vel his, qui suo periculo ab eminentissima præfectura sub competentis cautela excipiunt. — Dat. 3 kal. Aug. *CP.*, ARCADIO A. 2 ET RUFINO CONSS. 392.

15. *Imp. ARCAD. ET HONOR. AA. Dextro P. P.*

Si quis, vel pro una⁷ mutatione veredum superducendum esse crediderit, in quadruplum superducendorum animalium pretium fisci iuribus inferat. — Dat. 15 kalend. april. *Mediol.*, OLYBIO ET PROBINO CONSS. 395.

16. *Idem*, AA. Remitheo duci Armeniæ.

His tantummodo utendi cursus publici facultas concessa est, qui legati⁸ de diversis gentibus ad nostram clementiam properare sustinent.

hortal, h. lib., tit. 58. — 4. L. 16, L. 20, infr. h. t. — 5. L. 2, supr. eod. — 6. L. 23, infr. eod. — 7. L. 4, supr. eod. — 8. L. 9, supr. eod.

17. *Idem*, AA. Lucentio.

Nemo mulionem mutationibus deputatum, vel per sollicitationem, vel per receptionem subtrahere audeat, decem libras argenti poenæ nomine inferre reformidans. — Dat. 12 kal. Mart. *Mediol.*, HONORIO A. 4 ET EUTYCHIO CONSS. 398.

18. *Idem*, AA. Messala P. P.

Animalia publica dum longe majore, ac periniquo pretio pabula astimantur, per mancipes, atque apparitores aperte vexantur: ne id contingat, sublimitas tua disponat, ut nec pabula mutationibus desint, nec provinciales ultra, quam justitiæ sinit ratio, prægraventur. — Dat. 15 kal. decemb. STILICHONE ET AURELIANO CONSS. 400.

19. *Idem*, AA. et THEODOS. A. Septimio procur. Africae.

Comperimus provinciales, et pabula, et pecuniam pro [cursu] equorum cursualium solenni ratione conferre, et extrinsecus etiam perverendorum onere prægravari. Provinciarum igitur rectores procurent, ne unquam cursus publicus veniat in querela, et occasio deceptionis curiales, vel provinciales animalia indebita præstare compellat. — Dat. 7 kalend. april. *Raven.*, DN. THEODOS. A. 1 ET RUMORIDO CONSS. 403.

20. *Idem*, AA. Anthemio P. P.

Nemo⁹ ducum ingressus semel provinciam suam postmodum [in] itineribus faciendis cursu, atque angariis ipse [sive] suum utatur officium, sed expeditionem militarem jumentis propriis exequatur. De cohortalibus etiam officiis eadem lege sancimus, ne quis ex his per provinciam suam discurrens, veredo uti conetur in posterum, cum sacra prohibitum sanctione cognoscat. Quod si quis ducum, vel apparitorum, vel cohortalium officiorum temerario animo ea quæ decernimus, contemnenda putaverit: per singula animalia, quibus usus fuerit, singularum librarum auri illatione multabitur. — Dat. 4 non. August. *CP.*, DD. NN. HONORIO 7 ET THEODOSIO 2 AA. CONSS. 407.

21. *Imp. THEOD. ET VALENT. AA.*

Nullus penitus cujuslibet ordinis, seu dignitatis, vel sacrosanctæ ecclesiæ, vel domus regie tempore expeditionis¹⁰ excusationem angariarum, seu parangariarum habeat.

22. *Imp. LEO A. P. P.**

Cursum ambularem ab omni Orientali tractu, necnon ab his civitatibus aliarum regionum, quarum instructio tui culminis meminit, tolli amputarique decernimus: ita tamen ut in transitu fortissimorum militum quando nostra serenitas disposerit, ex aliis ad alia eos loca deduci, evectioe animalium secundum consuetudinem a nostra fuerint serenitate consecuti, et in armorum, tam confectione, quam translatione servata consuetudine, in protectione, quintem legatorum animalium dominis, qui ea solent accepta mercede locare, præbenda pensio, arcæ tui culminis imputetur, tractatoria videlicet animalium super memoratis causis nulli alii iudici, cujuscumque sit dignitatis, nisi tuo tantummodo culmini, faciendi licentiam patere decernimus.

23. *Imp. ANASTASIUS A.*

Jubemus nemini licere cujuscumque scholæ, vel officii, vel militiæ, seu conditionis per totius Orientalis tractus partes, ob quamcumque causam proficiscenti, seu redeunti, supra unum veredum, unumque paraveredum, cum evectioe tamen judiciali movere: nisi specialis ei præstita sit nostræ serenitatis quantitate animalium continens evectio: exceptis proculdubio his, qui pecunias publicas devehunt: cum in hac parte sine nostra quoque speciali auctoritate tanta conveniat animalia movere, quanta transvehendæ pecuniæ summa, et ejus tuitio deposcit: quinquaginta librarum auri his feriendis condemnatione, quicunque nostra iussa quolibet modo, seu tempore violaverint, seu violare concesserint.

TIT. LII.

DE TRACTATORIIS, ET STATIVIS.

1. *Imp. THEODOS. ARCAD. ET HONOR. AAA. Rufino P. P.*

Tractatorie cum stativis solitis tantummodo biduali tempore accipiant: nulli vero penitus cum necessariis sibi personis præbeantur, nisi his tantummodo, qui animalia, atque equos¹¹ sacro usui necessarios prosequuntur: ita tamen, ut his dimissis in tractatoriarum corpore, quinque dierum nu-

9. d. L. 9. — 10. L. 11, supr. de sacros. eccles. — L. 2, supr. de quib. munerib., lib. 10, tit. 48; L. ult. 2. par. D. de munerib.

TIT. LII. — 1. *Adde* L. un. supr. de venat. ferar.

TIT. LIII. — 1. L. ult. in pr. infr. h. t. — 2. L. 1, infr. tit. prox. — L. 7, supr. qui militare.

merus adscribatur: ut nullus ultra hoc temporis spatium ad residendum, in quo libitum fuerit loco, copiam nanciscatur. — Dat. 7 kal. septemb. *CP.*, ARCAD. A. 2 ET RUFINO CONSS. 392.

TIT. LIII.

DE APPARITORIBUS PRÆFECTORUM PRÆTORIO, ET PRIVILEGIIS EORUM.

1. *Imp. VALENT. ET VALENS AA. Mamertino P. P.*

Præfecturæ⁴ conicularios, qui annis singulis exeunt, post transactos conicularios nostram adorare² purpuram volumus: quo honore perfunctis, cum jam missionem tenuerint liberum otium damus, ut ad susceptionem, vel cujuslibet necessitatis officium minime devocentur. — Dat. 3 kal. febr. *Mediol.*, VALENTINIANO ET VALENTE AA. CONSS. 366.

2. *Idem*, AA. Zosimo præsidi Epiri novæ.

Præfectianos⁵ ad pernecium provincialium exactioibus in provinciis, vel potius lucris, vel quæstibus suis sese immiscere vetamus: præterea, vel horreorum gerere custodiam, vel curiarum jus, atque arbitrium sibi præsumere [his denegamus.] Horum si quis presentis legis temerator existat, volumus eum competenti motu et indignatione percelli. — Dat. 14 kal. decembr. *Mediolan.*, VALENTINIANO ET VALENTE 4 AA. CONSS. 375.

3. *Imp. THEODOS. ET VALENT. AA. Zoilo præfecto prætorio.*

Conicularii⁴, et primiscripii, numerarii insuper qui in officio tuæ sublimitatis per ordinem obsequiis militiæ terminatis, desideratam laborum requiem sortiuntur: pro multis erga rempublicam sudoribus ab omnibus indictionibus tam militarium quam civilium iudicum semper habeantur immunes; et civilium tantum iudicum, non etiam militarium jurisdictioni subiaceant. Huic sanctioni addendum esse censemus, ut si quis præfectianus⁵ dum militat, vel post depositum cingulum, sine testamento quod legibus comprobatur, nullisque ab intestato successoribus delictis, fati munus impleverit: omnes ejus patrimonii facultates provisione magnificæ tuæ sedis non fisci iuribus, sed arcæ tui culminis rationibus vindicentur. Scriuariis autem [et] exceptoribus, cæterisque qui in officio tui culminis merent: cum in legione⁶ prima adjutrice nostra militent, audientiam tantummodo in causis in quibus pulsantur, tuæ celsitudinis deputamus. In provinciis vero commorantes, rectoribus earum eos respondere jubemus, nisi publicum officium aliquod eis injunctum sit.

TIT. LIV.

DE APPARITORIBUS PRÆFECTI URBIS.

1. *Imp. GRAT. VALENT. ET THEOD. AAA. Principio P. P.*

Præter eos, qui de officio eminentium potestatum, numero stipendio- rum, et curricularum evolutis, urbisque præfecturæ serenitatis nostræ annis singulis attingere purpuram⁴, venerarique præcepti sunt: nulli prorsus eorum, qui provincialia officia peregerint, tranquillitatis nostræ muricem adorare sit liberum, omnium suffragiorum obreptione cessante. — Dat. 14 kal. octobr. *Aquilan.*, ARCAD. A. ET BUTONE 5 C. CONSS. 383.

2. *Imp. HONOR. ET THEODOS. AA. Palladio præfecto prætorio.*

Quicunque illustris urbanæ sedis apparitor clandestina fraude pistorem conusserit, accusatus atque convictus, perpetui panificii nexibus addicetur. — Dat. 17 kalend. Januar. *Ravennæ*, HONOR. A. 11 ET CONSTANTINO 2 V. C. CONSS. 417.

TIT. LV.

DE APPARITORIBUS MAGISTRORUM MILITUM, ET PRIVILEGIIS EORUM.

1. *Imp. VALENT. ET VALENS AA. ad Arthemium correctorem.*

Qui sese in officiis magistrorum equitum ac peditum militare monstraverit, ab omni nominationis injuria excusetur. — Dat. 15 kal. octobr.

h. lib., tit. 24. — 3. L. ult. infr. h. t.; L. 8, supr. de offic. rector. provinc. — 4. L. 1 supr. h. t. — 5. L. 2, supr. eod. — 6. L. ult. supr. de castrensi pecul. milit.

TIT. LIV. — 1. L. 1, supr. de præpos. sacri cubiculi, h. lib., tit. 5; L. 4, supr. de consu- lib., h. lib., tit. 5; L. 1, supr. de silentiis, h. lib., tit. 16; L. 1, supr. tit. prox.

Aquilani. Acc. 18 kal. novemb. *Salerni*, divo *Joviano* et *Varroniano* *Coss.* 564.

2. *Idem*, AA. *Mamertino* P. P.

Qui in officio magistrorum equitum ac peditum militiam sortiti sunt: ordinis sint militaris.

5. *Impp.* *Theod.* et *Valent.* AA. *Basso* P. P.

Probari apparitores magistratuum potestatis neque curiales in aliquo officio, neque cohortales, neque censibus adscriptos volumus. — *Dat.* prid. non. *Mart.* *CP.*, *Cyro* V. C. *Coss.* 411.

4. *Idem*, AA. *Apollonio*.

Numerarios virorum illustrium magistrorum militum tam presentium quam Orientalium, qui ordine et stipendiis militiae fuerint decorati, exeuntes, tribunis praetorianis partis militaris, sudoribus eorum beneficium deferentes, sociari precipimus: ita videlicet, ut post completam militiam ab omnibus indictionibus tam militarium quam civilium iudicium semper habeantur immunes: principatus vero munere functos, tribunis vigilium militibus aggregari volumus.

5. *Imp.* *Axastasio** magistro militum.

Eos qui in officiis vestris merentes, statutorum tantummodo numero inserti sunt, fori praescriptione muniti: ceteros vero qui supra huiusmodi numerum militare noscuntur, quasi nec militantes, et apud illustrissimas praefecturas, et apud clarissimas provinciarum rectores de quolibet pulsari et conveniri, et sine cinguli praescriptione respondere negotio sancimus. — *Dat.* 2 non. *Mart.* *CP.*, *Cyro* V. C. *Coss.* 441.

TIT. LVI.

DE APPARITORIBUS PROCONSULIS ET LEGATI.

1. *Impp.* *Valent.*, *Theod.* et *Arcad.* AAA. ad *Flavium* proconsulem *Africae*.

Officio, quod tuis meritis obsecundat, non curialem quemquam, nec ex ceteris corporibus volumus aggregari: at si qui erunt inter apparitores huiusmodi, restitui eos munis debitis mox iubemus.

2. *Impp.* *Arcad.* et *Honor.* AA. *Dominatori* procons. *Africae*.

Apparitioni tuae, et legatorum quadringentos censuimus deputandos, et de his duntaxat quos esse sibi detractos reipub. membra non queruntur.

3. *Impp.* *Arcad.* et *Honor.* AA.

In proconsulari provincia officium proconsulare postulet quod exigere consuevit, nec alienis se partibus impudenter inserat.

TIT. LVII.

DE APPARITORIBUS COMITIS ORIENTIS.

1. *Impp.* *Theod.* et *Arcad.* AA.

In officio comitis Orientis non amplius quam sexcenti apparitores habeantur, quos quidem publicis necessitatibus novimus abunde suppetere.

TIT. LVIII.

DE COHORTALIBUS PRINCIPIBUS, CORNICULARIIS, AC PRIMIPILARIIS.

1. *Imp.* *Constantinus* A. edicto suo ad *Afros*.

Omnes stationarii neque superexactionem audeant, neque carcerem habeant, neve quis personam, licet pro manifesto crimine, apud se habeat in custodia, sciens quod si quid tale fuerit commissum, capite puniendus est. — *P. P.* 6 *Maji* *Carthag.*, *Constantino* A. 4 et *Licinio* 4 *Coss.* 518.

2. *Impp.* *Constantinus* et *Constans* AA. *Tauro* P. P.

Nullus iudicium quemquam sine sacra probatoria probare audeat, vel provehere. Excepimus tamen officia provincialia cursus publici sollicitu-

Tit. LV. — 1. L. 1, infr. tit. prox. — 2. L. 5, supr. de offic. magistr. milit.
Tit. LVI. — 1. L. 3, supr. tit. prox.
Tit. LVIII. — 1. *Adde* L. 1, supr. de curio. et tit. supr. de privas. carcerib. inlibend. vide

dinem sustententia: nec enim tanto muneri adminiculum denegari publica permittit utilitas. — *Dat.* 6 kalend. *Januar.* *Mediol.* *Accept.* 8 id. *Jul.* *Datiano* et *Cereale* *Coss.* 538.

5. *Impp.* *Valent.*, *Valens* et *Gratian.* AAA. *Festo* consulari *Syriae*.

Soluta cohortalibus Syriae privilegia, quae a D. *Diocletiano* porrecta sunt atque concessa, nos quoque porreximus: ac iubemus eos non ad solitudinem bastage, non ad functionem naviculariam devocandos, non invitos curialibus caetibus adscribendos: verum peracto labore militiae pastus primipili competentis sedulitate functione transacta, praerogativam his recusationis offerimus. — *Dat.* 6 non. octob. *Valent.* et *Valente* AA. *Coss.* 565.

4. *Idem*, AAA. et *Gratianus* A. *Probo* P. P.

Officia rectorum provinciarum tuae magnificentiae literis volumus admoneri, ut susceptos in officio proprio, vel probatos, cohortium nomine, vel legionum privilegiis existimando inferendos. — *Dat.* 16 kal. *Jun.* *Modesto* A. et *Arintheo* *Coss.* 572.

5. *Idem*, AAA. *Modesto* P. P.

Quicumque per *Osroenam* primipilaris majore letatur numero filiorum, unum loco suo veluti hereditario iure substituat, alterum pro amore patriae *Edesena* curiae tradat obsequiis: caeteris qui voluerit militiae provisurus. Sin autem duos tantum procreaverit: cohorti satisfacere cogatur, et curiae. Quod si unum procreaverit, eundem ordini patriae restituat, nullo contra hanc formam beneficio valituro. *Damus* sane licentiam tam patribus eorum, quam ipsis, qui huius legis auctoritate civitatum obsequio aggregantur, ut si quos curiales patrocinio principum inveniunt excusari, in medium proferant: ut et ipsi similibus officiis deputati, pareant impetratis. — *Dat.* 5 non. decemb. *Antiochia*, post consulat. *Gratianus* A. 3 et *Equitii* V. C. 575.

6. *Impp.* *Grat.*, *Valent.* et *Theod.* AAA. *Neotherio* P. P.

Si apparitor defugerit criminosus, edictum, quo revocari possit, adjecta conditione legibus subsequatur: cui nisi fuerit satisfactum, merito in latitantem a iudice pro qualitate peccati sententia proferatur. Veniam enim talibus non permitimus, nec indulgentis crimina sublevamus. — *Dat.* prid. id. *Jun.* *Mediol.*, *Arcadio* A. 1 et *Bautone* *Coss.* 583.

7. *Impp.* *Valent.*, *Theod.* et *Arcad.* AAA. *Tatiano* P. P.

Ordinarium iudicium apparitores, qui vel speculatorum, vel ordinarium attigerint gradum, nullo annorum numero, nulla stipendiorum contemplatione laxentur, priusquam primipili pastum digesta ratione compleverint. Quod si ante debitum locum, qui huic functioni habetur obnoxius, vel aegri corporis labem, vel defessae senectutis extrema ad impetrandam quietem crediderit pretendenda, non prius otio condonetur, quam omne, quod primipilo debetur, expenderit. Eos etiam, qui pro sceleribus suis soluto militiae cingulo addicuntur infamiae: ne integro peculo sub hac occasione laentur, ita condigne ultioni eos volumus subjacere, ut functioni quoque, quae extremae militiae debetur, nihil ex eorum facultatibus subtrahatur. — *Dat.* 3 non. *Maji* *Mediolan.*, *Timasto* et *Promoto* *Coss.* 589.

8. *Impp.* *Arcad.* et *Honor.* AA. *Euthymio* vic. *Asiae*.

Speciebus primipilaribus adierandis eadem pretiorum taxatio servetur, quae in venalibus publicis poterit reperiri. — *Dat.* 3 kalend. *Mart.* *CP.*, *Arcad.* 4 et *Honor.* 3 AA. *Coss.* 596.

9. *Idem*, AA.

Per *Illyricum* (in quo plurima ac maxima necessitatum publicarum emolumenta officiis constat praesidalibus expediri) centeni numero singulis iudicibus obsecundent: nec ultra hunc modum, vel ad militiam ullus adsipret, vel conniventia iudicium perseveret. Adhibendi autem sunt ad huiusmodi ministeriorum obsequia, non illi, qui vano militiae nomine immania luca secetentur, sed qui necessitatem officii solitudinibus debitis exequantur.

10. *Idem*, AA. et *Theod.* A. *Anthemio* P. P.

Quicumque chartas, vel tabulas, vel quodcumque aliud ministerium cohortalis optaverit, non ante accedere permittatur, nisi ejus nomen matriculis receptum primitus fuerit: pena proposita his, qui contra statuta caelestia crediderint suscipiendos aliquos, aut quodlibet eis officium injungendum. — *Dat.* 16 kalend. *April.* *CP.*, *DN.* *NN.* *Honorio* 7 et *Tetodosio* 2 AA. *Coss.* 407.

tamen L. 4, D. de fugitiv. — 2. L. 9, infr. de divers. offic. — 3. L. 9, supr. de cursu publ. h. lib., tit. 81. — 4. L. 7, infr. h. t. — 5. L. 3, supr. eod.

11. *Impp.* *Honor.* et *Theod.* AA. *Anthemio* P. P.

Si quis ex grege cohortalium, urgente criminis insectatione stipendiis fuerit exemptus, aut otio traditus, quietis artibus immoretur, aut si ad pristina sacramenta precum miseratione maluerit redire: indultum nostrae majestatis oraculum amplissimae tuae sedi offerat allegandum. — *Dat.* 14 kal. *Mart.* *CP.*, *Honor.* 10 et *Theod.* 6 AA. *Coss.* 415.

12. *Impp.* *Theodos.* et *Valent.* AA. *Isidoro* praefecto praetorio.

Si cohortalis apparitor, aut obnoxius cohorti, ad ullam adspiraverit dignitatem: spoliatus omnibus impetrati honoris insignibus, ad statum pristinum revocetur: liberis etiam in tali [ejus] conditione susceptis, fortunae patriae mancipandis. — § 1. Quod si quis ex his ausus fuerit ullam affectare militiam, nulla praescriptione temporis minuiatur, praeter eam scil. [quae] ex triginta annis colligitur: sed ad conditionem propriam retrahatur: nec ipse, vel liberi ejus post talem ipsius statum procreati, quod cohorti debetur, nullam fortunam, cui majorum cohortalium vel cohortalini filius audeat adspirare fortunam, cui majorum suorum exempla praedictant. — § 3. Sed etiam cunctos qui diversarum rerum negotiationibus detinentur, trapezitas scilicet vel gemmarum argentique vestimve venditores, apothecarios etiam, ceterosque institores aliarum mercium, quibuscunque ergasteriis adherentes, iubemus a provincialibus officiis removeri: ut omnis honor atque militia a contagione huiusmodi segregetur. — *Dat.* 3 non. *April.* *Constantinopoli*, *Isido.* et *Senat.* *Coss.* 456.

13. *Idem*, AA. *Florentio* P. P.

Nullum ex primipilaribus, nullum ex principe cohortalis officii, vel ad aliam posse militiam adspirare, vel ministeriis sibi contra publicam utilitatem blandiri, vel ad quamlibet aliam dignitatem ad praedictum praerogativam accedere concedimus. Quod si contra hanc tam saluberrimam formam, vel responsa caelestia quadam militia aut dignitas audacter eliciatur: pro ingestis haberi, etiamsi speciali adnotatione nostrae indulgentiae eam obtinuisse videatur: nec adsertionem ei quoquo modo parere, qui se memoratis artibus publicae studet commoditati subtrahere, sed statim civitatis, unde oriundus est, curiae tradi precipimus.

14. *Imp.* *Leo* A. *Constantino* P. P.

Quisquis cohortalibus adhuc obsequiis obligatus, vel regimen provinciae, vel cingulum eujuslibet militiae, vel dignitatis quoquo modo meruerit: ante omnia contra licitum usurpatis impetrative careat, etiamsi ultroeca nostra liberalitate jus gerenda provincia, vel militiae seu dignitatis eujuspiam sibi jactaverit fuisse delatum, de hinc universis solatis conditionis, quam spreverat, defraudatos, ne quid eorum omnino per se vel per interpositam personam possit acquirere, primipili tantum munus implere cogatur: mox curialibus civitatis, in qua natus est, in diem vitae suae functionibus inhaerens: ita scilicet, ut etiam hi, qui post impletam talem militiam quodlibet militiae dignitatisve genus affectaverint, curiae [patriae] suae restituantur. — *Dat.* 6 kal. *Jun.* *CP.*, *Leone* 4 et *Probianus* *Coss.* 471.

TIT. LIX.

DE APPARITORIBUS PRAEFECTI ANNONAE.

1. *Impp.* *Valens*, *Grat.* et *Valent.* AAA.

Apparitores urbanae praefecturae annonario officio sese non inserant, sed apparitorum emulatione secreta, ministerio suo annonae praefecturae ungentur.

2. *Impp.* *Arcad.* et *Honor.* AA.

Praefecturae annonae canonem qui ad officium suum pertinet, per compulsores suos exigat: et cum officio suo retineatur obnoxius, qui ad implendum canonem devotionis suae exactionem non ostenderit.

TIT. LX.

DE DIVERSIS OFFICIIS ET APPARITORIBUS JUDICUM, ET PROBATORII EORUM.

1. *Impp.* *Valent.*, *Valens* et *Gratian.* AAA. *Severo* mag. militum.

Si quando praefectus praetorio, vel vicarius, aut rector provinciae si-

6. L. pen. et ult. infr. eod.; L. 15, supr. de offic. rector. provinc. — 7. L. un. supr. negotiatores ne milit. h. lib., tit. 55. — 8. L. 12, supr. h. t. — 9. d. L. 12.
Tit. LX. — 1. L. 9, infr. h. t. — 2. L. 6, supr.: L. ult. infr. eod.; L. 14, in fin.; L. ult. supr. de matricul. L. 5, in pr. supr. de offic. magistr. offic.; L. 11, in fin. supr. de agensib.

gnificaverit eum, qui chartis ac ratiociniis publicis invenitur obnoxius ad praepositum castrum ac militum transisse: retractus, illi assignetur officio, a quo ad necessitatem praestandi ratiocinii devocatur: in rejecti vero locum is potissimum destinetur, cui meritorum adstipulantur insignia. — *Dat.* 10 kal. *Januar.* *Gratianus* A. 2 et *Probo* *Coss.* 571.

2. *Impp.* *Gratian.*, *Valent.* et *Arcad.* AAA. *Eusignio* P. P.

Nullus ex his, quos claruerit militiae resolutos, indebita denuo sacramenta sine Augusti affectibus suscipiat. Si quis autem id per obreptionem forte meruerit, quinque librarum auri multetur incommodo. — *Dat.* prid. id. *Jul.* *Mediolan.*, *Honorio* NB. P. et *Evodio* *Coss.* 586.

3. *Idem*, AAA. *Eusignio* P. P.

Nullus apparitor amplitudinis tuae, vel de officiis palatinis ad eam provinciam, ex qua oriundus est, vel in qua collocaverit larem, vel qui jam in huiusmodi officio fuerit commoratus, obtentu publicae necessitatis, vel executor privati negotii dirigatur. Et enim officii tuae celsitudinis primiscrinus tres libras auri fisci utilitatibus sine dilatione persolvat, si statuta fuerint temerata. Apparitor vero, qui huic se muneri passus est deputari, militia spoliabitur. Haec vero poena etiam caeteris irrogata est, ut si domesticus, aut protector, aut stator, vel agens in rebus, vel palatinus utriusque officii, vel ad eandem provinciam, in qua natus est, vel ad eam, in qua collocaverit larem, cum huiusmodi usurpatione perrexerit: matriculis quidem exemptus ipse, qui se voluerit mitti, auri libram unam fisci juribus inferre cogatur: adjuutores vero officiorum, [et] palatinorum ac numerarii comitum illustrium virorum, sive actuarii libram auri fisci juribus solvant, nisi statuta fuerint custodita. — *Dat.* 2 non. decemb. *Mediolan.*, *Honorio* NB. P. et *Evodio* *Coss.* 586.

4. *Impp.* *Theod.*, *Arcad.* et *Honor.* AAA.

Qui vel exiguum rei familiaris substantiam habent, militare in apparitorum numero non venturum.

5. *Impp.* *Honor.* et *Theodos.* AA. *Graccho* praefecto urbi.

Quicumque apparitores ob culpam, vel negligentiam fuerint judicatio discineti, [jam] ad nullam militiam habeant facultatem aspirandi: nec ex rescripto his ullus aditus reseretur, quos congruit poenae gravissimae subjugari, si contra inhibita quoque sacratissimis constitutis aspirare contempserint. — *Dat.* 8 kal. *August.* *Ravennae*, *Honorio* 10 et *Theodos.* 6 AA. *Coss.* 425.

6. *Impp.* *Theod.* et *Valent.* AA. *Hierio* P. P.

In his officiis, id est, virorum spectabilium proconsulis *Asiae*, comitis *Orientis*, praefecti *Augustalis*, et vicariorum, quos etiam monuimus sub xxx interminatione librarum auri, nemo aliter admittatur, nisi eum emissa sacri scrinii probatoria consecravit. Quod si quis [talie] sub tua fuerit abdicatione convictus: profecto irritis his, quae vetita contrectaverit, etiam congruam indignationem incurret. — *Dat.* 10 kal. *Jul.* *Arcomedia*, *DD.* *NN.* *Theod.* 12 et *Valentin.* 2 AA. *Coss.* 436.

7. *Idem*, AA. *Anatolio* mil.

Ad splendidioris privilegia militiae posteaquam priorem continuo labore compleverint, eos venientes admittimus, qui ea voto adipiscendi honoris crediderint expetenda: non eos, qui studio exerenda cupiditatis abierint, ut velut in meliori fortuna positi, aut ea scelera, quae prius commississe doceantur, occultent, aut alia deinceps possint impune committere.

8. *Impp.* *Leo* et *Zeno* AA. *Joanni* magist. offic.

Viros spectabiles duces eorumque apparitores, necnon limitaneos, castrorumque praepositos, tantummodo ex sublimis tui iudicii sententia conveniri, nec aliis subjacere iudicibus precipimus: illustribus scilicet ac magnificis viris magistris militum consuetudine ac potestate, si qua ad limites aliquos *Orientis*, *Thraciarum*, et *Illyrici*, ex longo tempore hactenus obtinuit, reservata.

9. *Idem*, AA. *Hilario* mag. offic.

Probatorias memorialium et agentium in rebus caeterorumque nihilominus apparitorum praetorianae per *Orientem* amplissimae praefecturae, eorum etiam qui in diversorum iudicium officiis numerantur, ex sacris probatoriis solito more militiae sacramenta sortiri decernimus: non passim, nec licenter, solis auctoribus, vel sacrarum militarium literarum exemplaribus, sed ex authenticis tantum sacris probatoriis manu nostra subscriptis, et nostro arbitrio praestandis, ita ut nullis his dolus aut fraus possit annecti: de his etiam, qui sunt verae, et catholicae fidei, iube-

in reb. h. lib., tit. 20; L. 2, supr. de cohortalib. h. lib., tit. 58; *Edict.* *Justin.* 8, c. 3, § 1. et 15, c. 3. — 3. *Adde* L. 5, L. 15, L. 19, L. 20, supr. de episcop. audient.; L. 8, supr. de defensorib. civit.; L. ult. supr. de postul.

mus admitti. Aliter vero militantes, nisi ex his sint, quos solis auctoribus apparitioni aggregari vetusta consuetudo perdocuit: detecta fraude cuiuscunque accusandi studio, non solum mendaci carere militia, sed proscriptiois stylum subire decernimus, et bonorum omnium amissione multamus.

10. *Idem*, AA. Erythrio P. P.

Hac sanctione decernimus, ut in posterum nemini licentia sit edendi exemplaria his, qui sociandi sunt cuiuscunque militiae, quam sine divinis probatoris⁴ adipisci non possunt, sed periculo primatum uniuscujusque officii ipsas authenticas [sacras,] quae divinam nostrae pietatis continent adnotationem cum subscriptione administrantium, sub quorum jurisdictione consistunt, his, qui militare volunt praestari: exemplaribus videlicet eorum cum subscriptione eorundem iudicum apud singula quoque officia, prout convenit, reservandis. Quamvis autem manifestum sit de huiusmodi probatoriis observatione excepta esse ceterorum iudicum officia, tamen ne ulla [ei] ignorantia relinquatur occasio, omnium officiorum, quibus necesse est per sacras probatorias militiae sociari, notitiam [in] sacris apicibus subdendam esse censuimus. Sub hac igitur observatione omnes, qui sive in hoc sacro palatio nostro, sive in aliis quibuscunque officis deinceps militare cupiunt: qui tamen (ut dictum est) non possunt pro tenore sacrarum constitutionum, vel veteri consuetudine, nisi praecedentibus sacris probatoriis militiae sociari, sicut subjecta notitia demonstrat, adipisci praecipimus, scientibus his, qui ex aliqua parte praesentis nostrae serenitatis legis formam conniventia, vel negligentia quadam colludere tentaverint, non tantum amissione bonorum omnium, sed etiam capitis periculo, utpote crimini falsitatis obnoxios semet [ipsum] esse plectendos. Et est notitia [hac:] scrinii memoriae probatarum agentium in rebus palatinorum [sacrarum] largitionum, rerum privatarum partis Augustae. Item scrinii sacrarum epistoliarum sic: in officiis virorum illustrium praefectorum praetorii Orientis, et Illyrici, et urbi, officii proconsulis Asiae et Africae, officii comitis Orientis, officii praefecti Augustalis, officii comitis divinarum domorum, officii vicariorum Thraciae, Ponti, et Asiae, et Macedoniae, et thesaurarius classis. Item scrinii sacrarum libellorum sic: officii virorum magistrorum militum utriusque praefecti Orientis, et Illyrici, invitatorum admissionalium, memorialium, omniumque pedagogorum cellariorum, mensorum lampadariorum eorum, qui in sacris scriniis deputati sunt, decanorum partis Augusti, et cursorum partis Augustae, officii virorum spectabilium dum Palaestinae, et Mesopotamiae, nobilis comitis Phoeniceseos, Corsenae, Syriae, et Augustae Euphratensis, Arabiae, et Thebaidis, Libyae, Pentapoleos, utriusque Armeniae, utriusque Ponti, Scythiae, Mysiae primae, [secundae,] Daciae, Pannoniae, officii virorum spectabilium comitis Aegypti, Pamphyliae, Isauriae, Lyconiae, et Pisidiae.

TIT. LXI.

DE EXECUTORIBUS ET EXACTORIBUS.

1. *Imp.* ARCAD. et HONOR. AA. ad provinciales et ad proconsules. Ne per diversas provinciarum partes, aut palatinus⁴ exactor accedat, aut illustrium virorum apparitor vagaretur, vel militaris terror inferret formidinem: hac lege sancimus, ut omnes memorati intenti sint ad² provinciae rectorem, et cum eo agant: illo insistente, disponente, et agnoscante, et suo periculo rem peragant, et impleant universa. — Dat. 17 kal. Jul. *Mediolan.*, OLYBIO et PROBINO COSS. 393.

2. *Idem*, AA. Andromacho P. U.

Quicumque ex palatio nostro cuiuslibet tituli ad provincias commoveat, compulsor, exactor, admonitor, portitorve praecipit, agens in rebus, vel palatinus, vel apparitor illustrium potestatum: hoc tantum potestatis arripiat, quod mandatum curiae suae specialiter approbatur, nec quod injunctum alteri fuerit, collegii jure praesumat: ne³ dum hoc sibi invicem mutui officii licentia patiuntur, agant cuncti, quod singulis credebatur. — Dat. prid. id. Jul. *Mediol.*, OLYBIO et PROBINO COSS.

3. *Imp.* HONOR. et THEOD. AA. Palladio P. P.

Sive ex praetoriano officio, sive illustris comitivae sacrarum largitionum, necnon et rei privatae nostrae [militariae,] vel ex quacunque apparitione ad quamcunque necessitatem profligandam quis fuerit destinatus, sciat⁴ se intra anni metas debere collectis rationibus ad proprium iudicem remeare, eique suam efficaciam ostendere, et quid [in] ejus instan-

4. L. 3, supr. h. t. Tit. LXI. — 1. L. 3, supr. de eadem largit. tituli. 1. b. 20, tit. 25. — 2. L. 6, in fin. supr. de exact. tribut. lib. 10, tit. 19. — 3. L. 25, vers. absurdum, supr. de testamentis; L. 4, supr. numerar., h. lib., tit. 50. — 4. L. 4, supr. de susceptorib., lib. 10, tit. 70. — 5. L. un.

tia exactum fuerit, quidve in debitis habeatur, et penes quos resederit, vel cujus culpa, aut qua causa in eadem provincia fuerit derelictum. Quod si exacto spatio anni in ejus regionis visceribus praedator insidians, deprehensus fuerit remorari: tunc absolutus cingulo militiae abjicietur, primoribus ejus militiae decem librarum auri multa proposita, si redire dissimulet: et per vices officiorum ligatus ferreis nexibus, cura provincialis officii ad debitum mittatur examen: nec ei liberum sit, ut quod se privilegio aut occasione defendat, quod sibi aliud negotium, vel aliam necessitatem post injunctam esse causetur, cum hisdem licentiam auferamus in eadem provincia continuare exactionem. — Dat. 10 kal. octobr. DN. THEOD. A. 7 et PALLADIO 416.

4. *Idem*, AA. Joanni P. P.

Nullam possessionem alterius⁵ pro alienis debitis publicis vel privatis praecipimus conveniri. — Dat. 8 id. Jul. *Ravennae*, HONORIO 13 et THEODOS. 10 AA. COSS. 422.

5. *Imp.* HONOR. et THEODOS. Volusiano praefecto praetorio.

Contra nostra praecipit si quisquam vetito [ac temerario] ausu exactionem audebit, licebit provinciae moderatori eundem correptum ad sublimitatis tuae iudicium sub prosecutione dirigere, et licebit⁶ provinciali, si probetur obnoxius executor contra vetitum exactionem sibi vindicans, temeritatem legitime repellere.

6. *Imp.* ZENO Arcadio P. P.

Sancimus, ut eum cui ex iudicio tui culminis quocunque modo, sive studio numerariorum aut tractatorum, vel ipsorum jussu, qui pro tempore amplissimae tuae sedis administrationem suscipiunt, exactio publicarum pecuniarum injungatur, minime prius liceat aliam solitudinem gerendam suscipere, quam reversus injunctae sibi causae responsum praebuerit. Si tamen ita sors tulerit, ut in ea provincia ad quam exequendi causa publici negotii aliquis proficiscitur, aliqua quoque causa sit exequenda, non prohiberi unum eundemque executorem ab hac urbe regia proficiscentem, duorum simul, non plurium negotiorum executionem suscipere, dum ipsi quoque tertii non sit injungendi [licentia] antequam de superioribus responsum portaverit. Executoribus his, qui secundam, sive simul duas, vel etiam tertiam causam passi fuerint exequendam suscipere, non solum cinguli et bonorum suorum amissionem, verum etiam perpetui exilii supplicium subituris. Eandem hanc poenam numerarium quoque, et ejus adjuutores, ad quorum curam quod violatum est pertinet, formidare.

7.

Quilibet executor⁷ divinae jussionis praetorianae praecipit id prius insinuare praesidi debet, ut is inquirat an sit in eo vitium aliquod falsi, aut legibus adversum aliquid, et an per obreptionem impetratum sit. Executio autem fit scripto, vel sine scripto propositis sacris Evangelis, et presentibus possessoribus omnibus, et una cum praeside inquirentibus, qui et opem executori ferent, si res digna videatur. Sed si quid manifesto in ea falsi, vel illegitimi deprehenderit, suspendat exactionem, et relationem mittit ad principem per agentem in rebus vel ad sedem ejus a quo res processit. Et interim executor quidem cautionem praestabit pro rei qualitate: reus personalem, se sisti puta, idque sine ulla impensa. Debet enim executor indemnem cum praestare quem convenit, si temere, forsitan eum convenerit, quam cautionem, nisi praestiterit, impune ab eo quem convenit repellitur. Praeses ipse, vel alius ad quem jussio dirigitur, cautionem exiget ab executore pro rei qualitate. Sed et si potuerit quis executionem repellere, et repulerit, debet praeses executorem restituere, et ab eo cautionem exigere personalem, et rem deferre: quod si negligat tam ipse, quam suum officium, isve ad quem litterae missae sunt, de suo indemnitate convento praestabit, durante vel deposito magistratu. Constitutio excipit eos, qui nomine tributorum obligati sunt. Quod si pretio victi praesides non inquirant, qua de re superius diximus inquirendum esse: etiamsi negligentia hic tantum argui videatur, et rei familiaris damnum patientur et magistratu ejicientur, et circa salutem periclitabuntur. Omnis autem lex praefecto praetorio prius insinuari debet, deinde in provinciam transmitti, et portitori dari aureos sex, praeside curante per omnes civitates suae provinciae legem promulgari sine ulla impensa praesidis vel defensorum, vel portitoris. Et si quis ex ea re quid perceperit, in duplum tenetur, et magistratus dignitatem amittit, officialis officium.

supr. ut nullus ex vicaneis, lib. 11, tit. 56; L. 12, l. ult. supr. de omni agro deserto, lib. 11, tit. 58; N. 53, c. 1; N. 128, c. 14. — 6. L. 5, supr. de jure fisci; L. 5, supr. de metis, h. lib., tit. 41; L. ult. vers. discussione autem, supr. de discussorib.; lib. 10, tit. 20. — 7. N. 128, c. 10.

TIT. LXII.

DE LUCRIS ADVOCATORUM, ET CONCUSSIONIBUS OFFICIORUM, SEU APPARITORUM.

1. *Imp.* CONSTANTINUS ad Aelianum proconsulem Africae.

Si quis a ducentariis, vel centenariis, vel fisci advocatis laesum se esse cognoscit, adire judicia, et probare injuriam non moretur: ut in eum, qui convictus fuerit, competenti severitate vindicetur. — Dat. kalend. novemb. *Treveris*, CONSTANTINO A. 4 et LICINIO 4 COSS. 515.

2. *Idem*, Ebulidae dic. Africae.

Praeter solennes et canonicas pensationes, multa a provincialibus indignissime postulantur ab officialibus et scholasticis non modo in civitatibus singulis, sed [etiam] mansionibus, dum ipsis et animalibus eorumdem alimoniae sine pretio ministrentur. Provinciales itaque cuncti iudices teantur, nec injurias multas transire permittant. — Dat. 3 kalend. Jul. LEONTO et SALLUSTIO COSS. 544.

3. *Imp.* ARCAD. et HONOR. AA. Pompeiano P. P.

Quotiens compulsor arguitur in depradatione convictus, etiam non consulta clementia nostra subeat legibus competentem. — Dat. prid. kal. Jun. *Mediol.*, STILICHONE et AURELIANO COSS. 400.

4. *Imp.* HONOR. et THEOD. AA. Adriano P. P.

Curialibus et naviculariis, omnibusque corporibus ita subveniri volumus, ut nihil apparitoribus universorum iudicum liceat, quod ad praedam provincialium pertinet.

TIT. LXIII.

DE PRIMIPILLO.

1. *Imp.* VALERIAN. et GALLIEN. AA. Domitio.

Commoda primipilatus post administrationem incipiunt deberi: et si is, qui ea percipere debuit, prius rebus humanis eximatur, heredibus petitio salva sit.

2. *Imp.* DIOCLET. et MAXIM. AA. Alexandro.

Obtento nominis primipilli, civiles actiones ad alios iudices transferendae non sunt.

3. *Idem*, AA. Domnae.

Utilitas⁴ publica praefenda est privatorum contractibus: et ideo si constitit fisco satisfactum esse ob causam primipilli, poteris obligatam tibi possessionem dotis titulo petere, ut satis doti fieri possit.

4. *Idem*, AA. Dionysio.

Cum ex sola primipilli causa liberos, etiamsi patribus heredes non

TIT. LXIII. — 1. L. 4, supr. qui potiores in pignore; N. 97, c. 4. — 2. L. 3, supr. de recov. his que in fraud. credit.

existant, teneri D. Aurelianus sanxerit: si neque² successistis patri vestro, nec quicquam ex bonis ejus tenetis: consequens est, a paternis creditoribus vos non conveniri.

TIT. LXIV.

PUBLICAE LÆTITIAE VEL CONSULUM NUNTIATORES, VEL INSINUATORES, CONSTITUTIONUM, ET ALIARUM SACRARUM VEL JUDICIALIUM LITERARUM EX DESCRIPTIONE, VEL AB INVITIS NE QUID ACCIPIANT IMMODICUM.

1. *Imp.* GRATIAN., VALENT. et THEOD. AAA. Floro praef. praet.

Quicquid nostrorum unquam nunciari ceperit prosperorum, ut bella si desinunt, si oriuntur, victoriae fastus, si honor datus fuerit regalium, vel consulum vel trabearum, compositave pacis erit offerenda tranquillitas; si sacros vultus inhiantibus forte populis inferimus: hoc sine⁴ immodico pretio nunciari excipique sancimus: actum esse jubemus castissimum, indigentibus, non numerariis esse praebendum iudices statui-mus esse sollicitos, ne turpi colludio quaeratur ex miseris pretium gaudiorum. Quod si id sacrilega fuerit dissimulatione violatum, et accipientem pudoris fortunarumque manebit excidium, et cogentem par poena multabit, et officium triginta librarum auri vexatione quatietur. — Dat. 4 non. febr. CP., MEROBIAUDE 2 et SATURNINO COSS. 383.

2.

Constitutio vult a singulis provinciis insinuatoribus sacrarum literarum, vel generalium constitutionum, vel publicarum commonitoriorum, vel statuarum sex duntaxat solidos dari, et ab eo, qui amplius acceperit, quadruplum reddi, hoc inhibente praeside, et episcopo et primoribus civitatis, omnique tam civili quam fiscali adminiculo, nisi velit episcopus in principis indignationem incurrere, praeses bonis et dignitate et civitate multari. Curet autem officium nec descriptionem fieri ex iis causis ultra vi aureos, nec ab invititis, et ab accipiente quadruplum inferri. At cum cives seipsum volunt describere operis publici, vel frumenti coemendi causa, et hoc sibi concedi a principe petunt, nihil oportet laedi ex hac causa, ne sacerdotes indignationem eandem incurrant, praesides dignitatem amittant et publicentur: officium in corpus torqueatur, nisi principi detulerint, quicquid contra hanc constitutionem fuerit admissum. Possunt enim descripti resistere describentibus: vel si nequeant resistere, licet eis invocare praesidem, et deferre principi. Sed non oportet patres civitatum vel sitonas, vel susceptores ex rebus, quos habent in manu, quidquam praebere, sed eorum quantitatem destinatae necessitati servare debent. Quod si praes violarit, de suo eos redditus implebit. Fiscales enim et civiles res immunitate servari necesse est.

TIT. LXIV. — 1. L. 3, infr. h. t.; L. 26, § 2, supr. de episcop. audient.

CODICIS FINIS.